AD QVODLIBETARIAM
QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS AGITANDA
DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVIII. NOVEMB.

Magiſtro ANDRÆA LE GROS, Doctore Medico, moderatore prudentiſſimo.

616

An partus dolor maximus?

NATVRÆ, & ſanitati contrarius morbus, quamlibet corporis partem afficit. Cor ſol in paruo mundo, vitæ propugnaculum, eiuſdemq; principium, & finis, omni genere vexatur. A Iecore ſuauiſſimi Nectaris opifice, & vberrimo fonte fit Hydrops, quo vel totum corpus, aut venter intumeſcit, qui peior eſt: Icterus, qui 7. die in bilioſa febre fœliciter contingit, & ſi cum Scyrrho vel Hepatite ſit, curationi non cedit. Cerebrum ſapientiæ domicilium, mirabili ſtructura conditum, μητρόπολις τοῦ ψυχροῦ καὶ τοῦ κολλώδεος, quamplures quoque patitur affectus calidos & frigidos. Quos inter frequens eſt Catharrus, qui ſi colli glandulis inſiſtat, naſcuntur ſtrumæ Hiſpanis vernaculæ, quarum diuinitùs CHRISTIANISSIMO REGI conceſſa eſt ſanatio; ſi in articulos decumbat, Arthritis calida vel frigida generatur, quæ vt viris præſertim opulentis, ſic mulieribus, & pueris eſt familiaris: ſi in Thoracem, Peripneumonia, Aſthma, Phtiſis, Pleuritis.

IN morbis dolor frequentiſſimus eſt, qui ſi vrgeat, etiam neglecto morbo ne vires proſternat, mitigandus. Eſt namque triſtis & moleſtus naturæ ſenſus, ab intemperie, vel ſolutione continui proueniens. Et præter cæteros alius eſt pungitiuus, grauis, tenſiuus, & pulſatorius, quo tactus afficitur ſenſuum nobiliſſimus. Magni dolores fiunt in partibus exquiſiti ſenſus, vt ſunt Oculi ignei, Thorax, Stomachus, Vterus, & partes neruoſæ omnes. Cor, Pulmo, Hepar, vt ſenſus, ſic ſunt obtuſi doloris: Cerebrum percipit nullum. Colicus, Arthriticus, Nephriticus, Odonticus etiam in ipſa ſubſtantia dolor eſt vehemens: ſed in partu Naturę miraculo ſæuiſſimus.

QVOT morborum ideæ, tot ſunt propria & contraria remedia, quæ benigna mater Natura homini ſuo amaſio liberaliter produxit. In quorum vſu 4. morbi, & paroxyſmi tempora obſeruanda ſunt, quorum ſtatus periculoſior, in quo fit Criſis, & μονομαχία Naturæ cum morbo, ad ſanitatem vel interitum: & declinatio ſecurior, in qua vix aliquis expirat. Duplici morborum generali cauſæ Plethoræ & Cacochymiæ medentur duo ſumma auxilia Catharſis & Phlebotomia, cuique ętati vtilia, quæ humorem morbificum vacuant, & dolorem, ſi adſit, demulcent.

EX Anodynis quæ temperata ſunt excellunt, poſtea quæ dolorificam materiam educunt, & reſoluunt, & qualitati repugnant. Quibus ſi dolor non cedat, Narcoticis demùm vtendum, quæ tamen natiuo calori contraria, inter venena recenſentur. Arthriticus dolor Medicorum opprobrium, qui Vere & Autumno morboſiſſimis temporibus commouetur, tùm diæta relicto vino, tùm Pharmacia, tùm Chirurgia placari poteſt, adhibitis potiſſimùm parti dolenti Paregoricis, & ſi ſæuiat ſtupefacientibus, quæ & Colico & Nephritico dolori tùm ſumpta, tùm iniecta, præmiſſis mitioribus conuenire poſſunt, non omiſſis quæ proprietate vtrique proſunt.

PARTVS facilis fit, & eius dolor minuitur, ſi viribus polleant fœtus, & puerpera, & vterus pars ignobilis, & morborum ferax in muliere viro morboſiore: & ipſa ſit benè conformata, non craſſa, nec obęſa, nec timida; ſi ſitu conuenienti vtatur, & ſpiritum inferius impellat; ſi obſtetrix ſit perita, ſi litu aliquo leniente & relaxante ſinus pudoris, & partes ambientes molliantur: ſi aluus & veſica ſuis excrementis ſint liberæ: ſi fœtus ſit maſculus, nec corpulentus, ſi in caput prodeat, paulò poſt aquarum effluxum, & legitimo tempore, vt 7. & 9. menſe: ſi χόριον mox ſequatur, & λόχεια non retineantur. Adiuuant ſternutatoria, Cinamomum, Magnes, & Aëtites lapis coxæ alligati, Cyclamen, & Artemiſia, vinum Hippocraticum, ſecundina ouis vel capræ, recens & calida ventri admota. Quibus vt decet ſe habentibus, laborioſiſſimum Naturæ opus, in quo Os Pubis diſiungi vix credibile eſt, fœliciter ſuccedit, & ſæuiſſimi dolores miteſcunt.

Ergo partus dolor maximus.

Proponebat Lutetiæ ANTONIVS CHARPENTIER, Pariſi. Ann. 1621.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ioannes de Bourges.	*M. Petrus Robinet.*	*M. Nicolaus Henault.*
M. Valentinus Hyeraulme.	*M. Ioannes Berault.*	*M. Philbertus Guibert.*
M. Franciſcus Boujonier. M. R.	*M. Franciſcus Mandat.*	*M. Ioannes Pietre. M. R.*